

R E S P O N S I O N E S

Rationum Contrariarum.

Ad 1. Concedo maiorem, & minorem, sed assigno glossam. Conceditur vno essentialis simplicissima, sed non tollitur quin respectu productorum quo ad representationem, non fit distinctio formalis, & non possim alio modo intelligere Deum, vt producentem per intellectum, & alio modo per voluntatem, cum sit alius filius, & alius spiritus sanctus. Immo oportet intelligere.

Ad 2. Pariter dico quod non est mutatio in essentia, sed in modo producendi, & hoc facit distinctionem ex natura rei. Nec valet de sole. Quia caliditas, siccitas, & constructio non sunt in sole nisi virtualiter, & non formaliter: Intellectus autem, & voluntas sunt in Deo formaliter (vt dixi supra Dist. 12. q. 1. Concl. 7. & art. 7.) Sed forma vbicunque fuerit separat, & distinguit, vt dicit Phyl. 7. Diuin. tex. comm. 49. Esse virtuale non facit distinctionem. Ideo effectus qui sunt in causa virtualiter, non distinguuntur, ergo.

2. Dico quod licet non fit distinctio absolute propter essentiam, tamen dicitur esse propter relationes productorum. Nam alio modo refertur filius, alio modo spiritus sanctus, sic in solutione cere, & constructione lani. Ideo scire oportet illam regulam, quod maior distinctio reperitur in principiis, quam in principijs. Nam duo ideata sunt impossibilia in eadem natura, non autem in eadem causa. Exempl. de Homine, & Pauoue. Sic filius, & Domus, sunt impossibilia in eodem subiecto, non autem in eodem Architecto. Quoniam mens, illa coninet.

Ad Aureolum dico quod non est, nec compositio, nec aggregatio, quia omnia ista transeunt in substantiam, sed solum respectu oppositarum emanationum, & hoc modo dicunt pluralitatem disperatam. Nem relatione paternitas relata, ad oppositum terminum, non dicit accidens, quia eadem est cum substantia patris.

Ad 4. Si differunt. Respondeo, non differunt respectu essentia, sed respectu productorum. Hæc volui dixisse. Habuistis. In sequenti Distinct. explicabo Distinct. 11. Magistri Sententiarum in qua probatur Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio.

LECTIO TRIGESIMA QVINTA

In qua Magister probat contra multos Hæreticos ex Ecclesia Græcorum, quòd Spiritus Sanctus procedit à Patre, & à Filio. Ideo propono connexionem præsentis Distinctionem cum superiore 2. confirmabo conclusionem 3. adducam difficultates, & solvam.

Quo ad connexionem cum precedenti, est facile respondere. Nam cum in præcedenti Dist. probauerit Magister, Spiritum Sanctum dicitur esse amor charitas Di. N. Vin. & Donum, ergo procedit à voluntate, cum voluntas amet, sed voluntas dicitur respectu amantis, & rei amata: igitur cum in diuinis sint tantum duo amantia æterna, scilicet pater, & filius, ergo amor erit à patre, & à filio, ergo cum egerit de spiritu sancto, vt amor, & dilectio hypostatica optime debebat de sua productione agere.

Præterea. Non solum oportet tractare de aliqua re quo ad suam essentiam, & quo ad principia productionis, sed oportet etiam expellere omnes errores, quibus res ipsa autem medio tollitur, aut infirmatur. Cum igitur ex Græcorum schola multi male sentierint circa spirationem spiritus sancti, quia tenuerunt, quod solum à patre, & non à filio procedit: Immo quod peius est Anathematizant eos qui credunt alio modo vti est videre suis in concilijs, & nos tenent Anathematizatos: Idcirco Magister vult expellere hanc opinionem, & probare quomodo recte procedit ab vtroque. Hinc accingo me ad probationem, quæ probatio pendet ex.

Auctoritate, & Ratione. Auctoritas de sumpta fuit à toto Theologorum Patrum, & Sacrosanctæ Scripturæ à fundamento. Videlicet.

Mattheo.	Mattheus fuit Euangelista.	De Mattheo Ecce locus. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur. Tunc sic. Cum sit patris erit, & mei. Quoniam pater in me est, & ego in patre. Qui qui videt me videt, & patrem meum. Ego, & pater vnum sumus.	Matth. 10.
Ioanne.	Ioannes discipulus dilectus.		Ioan. 15.
Paulo.	Paulus Vas electionis.		
Athanasio.	Athanasius Doctor.		
Dydimo.	Dydimus Sanctus.		
Cyriilo, & Ioan. Chrysofotom.	Cyriillus Episcopus, & Ioan. Chrysofotomus Pius, & omnes fuerunt Græci, & probant Spiritum Sanctum ex professo esse à patre, & à filio.	De Ioanne apertius quem mittet pater in nomine meo. Clarius. Quæ ego mittam vobis à patre.	Rom. 2. Gal. 3.

De Paulo. Scribens ad Romanos inquit. Qui autem Spiritum Christi non habet hic non est eius, ergo à filio procedit, quia est Christi Spiritus. Vltimus ait. Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra dicit filij sui, ergo à filio.

De Athanasio. Ecce in Symbolo fidei Spiritus Sanctus, à patre, & à filio, non factus, non creatus, non genitus, sed procedens. Ecce confessio manifesta.

De Dydimo.